



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Triapostolatvs Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

31. De Pastorali eius gratiâ, & quomodo contumaces, mandatum eius  
præuaricantes, ignem diuinæ vltionis senserint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

exhibebat, & eulogis datis miscebat & mensa ante ipsos posita, sic deum ad conuiuum suum cum hospitibus accedebat. Hæc & multa alia in Dei nomine faciebat.

## CAP VT XXXI.

*De Pastorali eius gratiâ, & quomodo contumaces, mandatum eius præuartantes, ignem diuinæ ultionis senserint.*

**A**T verò de Pastorali eius gratiâ qualis quantusque extiterit, præterisse non videtur. Nam quod ipse super gregis sui custodia sollicitus, multa sublimia videre promeruit, & in mente superna frequentius visitatione inspiratus sit, superius iam in multis comprehensum ostendimus. Denique iam exterius gratiâ Dei in eo largius coruscante, sermo prædicationis illius multâ suavitate profusus, partim erat horribilis, ut certo probaretur indicio, infusione spirituali verba eius moderari, quo miscens terroribus blandimenta vim diuini prætenderet iudicij, in quo veniens Dominus terribilis peccatoribus, & blandus apparebit iustis. Hac quippe gratiâ in verbis & vultu ammiranduserat, ita ut eum potentes & diuites, maximè ramen contumaces & proterui, terribilem attenderent, mediocres verò quasi fratrem complecterentur, pauperes autem quasi patrem piissimo venerarentur affectu. Porro licet signa virtutum velut instrumenta iactantiae cautè

*s. Ansga  
rius in ver  
bis suavis  
& grauis.*

caute fugeret, tamen eo non querente & *Miraculū*  
hæc ipsa non deerant. Nam cùm quodam *pene in pers-*  
*tempore, in Frisia in pago Ostergao, in die uicaces.*  
Dominica prædicaret populo, & inter alia  
prohiberet, ne quis in die Festo opus serui-  
le exerceret, quidam illorum, vt sunt con-  
tumaces & stolidi, domum reuersti, quia sere-  
nus erat aër in pratum euntes collecto fæ-  
no aceruos fecerunt: quibus factis, adue-  
sperascente die, omnes illi acerui, qui eadem  
die facti fuerant, diuinitus igni consumti  
sunt, illæsis illis permanentibus, qui in ante-  
rioribus diebus in medio præparati consta-  
bant. Quo facto, populi in circuitu manen-  
tes, fumum à longè cernentes, hostem ad-  
esse putantes, timuerunt valdè; sed diligen-  
tiùs rei veritatem perscrutantes, contuma-  
ciam nonnullorum probauerunt esse mul-  
tatam.

## C A P V T XXXII.

*De prævaricatione Nordalbingorum & correptio-  
ne; & qualiter idipsum Archi-Episcopo prius  
cælitus ostensum sit.*

**N**ec silentio prætereundum arbitramur  
quia cùm quodam tempore gens Nor-  
dalbingorum plurimùm delinquisset, quorum  
delictum huiusmodi erat: videlicet cùm non-  
nulli miseri captivi de Christianis, qui apud  
barbaros nimis affligebantur, inde effuge-  
rent, & ad Christianos venirent, ad prædi-

H 4

ctos Nor-